



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 104. Extremum Ravallaci supplicium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

cida ad extremum usque halitum de Sæc. XVII.
 complicibus nullam omnino mentionem A. C. 1610.
 fecerit.

§. CIV.

Extremum Ravalliaci supplicium.

Ut autem justitiæ per Regis cædem *Memoir.*
 gravissime læsæ satisfieret, decre- *secret.*
 tum est, vitam Parricidæ tormentis *part. II.*
 ac morti offerre, velut victimam, vilem *pag. 186.*
 quidem, & abjectam, sed qua melio-
 rem aut succidaneam justitia non ad-
 mitteret, nisi tantum scelus cumulari,
 nec expiari vellet. Interim die deci-
 ma octava Maji denuo de complicibus
 interrogatus interposita etiam juramenti
 religione, sæpius quoque crudelissime
 tortus, constanter profitebatur, quod ad
 hoc crimen sola prava sua voluntate &
 clamoribus militum fuerit incitatus,
 dicentium, quod etsi Rex Ecclesiam &
 Pontificem debellare intenderet, ipsi pro
 Rege mori parati essent: perversum au-
 tem suum propositum nec Parochis nec
 ulli Sacerdoti manifestare voluerit,
 persuasus, quod hi ejusmodi crimen
 pro publica Regni salute manifestare
 fuissent obstricti, proin ipse ob solam
 necandi voluntatem extremum subiif-
 set supplicium: *si autem quiscunque ad-*
debat reus, demum mei propositi complex
 K k 3 *fuiisset,*

Sæc. XVII. fuisset, de æterna mea salute actum esset,
 A. C. 1610. si eum non manifestarem: quia causa existerem,
 quod hic vel ille in suspensionem innocens traheretur, Et si auro vel alia humani ratione fuisset adductus, non ipsum Regem admonere statuissem, ut Hugonottas, gentem illam Dei ac Ecclesiæ voluntati rebellem ad finem Ecclesiæ compelleret, ter autem quaterve Luparam accessi, mentem meam Regi expositurus, semper tamen ruditer a Forcæo Satellitum Præfecto repulsus sum, tanquam importunus Papista: Sola ergo hac opinione, quod Rex Pontifici bellum denuntiare pararet, delusus, tantum nefas in solo meo progenitum cerebro commisi. His dictis in lacrimarum torrentem effusus, veniam a Deo, Rege, Regina, Senatu totoque populo & orbe precabatur, fiducia in Deo collocata, quod usque ad obitum suum in fide, spe & charitate perfecta perseveraturus, per Christi Passionem, quæ magis ad salutem, quam crimen suum ad damnationem efficax foret, ab inferni poenis præservandus esset. His dictis ac pronuntiata mortis sententia die vigesima septima Maji ad aream, quæ Grævia dicitur, inter centenas populû undique confluentis execrationes deducitur, ubi carnifices dexteram ejus, qua sicam tenebat, cultro ardente perforantes, candentibus forcipibus femur, brachia, pectusque ex
 utra-

utraq; parte dilacerant, atque hian-
 tibus plagis fervens oleum, plumbum,
 sulphur & resinam liquefactam per in-
 tervalla, ut per singula membra sensim
 moreretur, infundunt, dein ipsius Ma-
 trem usque ad femora denudatam ob
 oculos eidem exponunt, utero, qui
 tantam pestem portasset, maledi-
 dicentes. Denique corpus ejus qua-
 tuor equis in frusta raptatur: Tanta
 autem erat populi in eum indignatio,
 ut cum equi incitati non proficerent,
 quidam funes manibus traherent, velut
 equis robur addituri, alii lassatis carni-
 ficum equis suos substituerent, quo-
 rum ope tandem totum crus sinistrum
 cum femore & coxa avulsum est; cum-
 que carnifex reliquum corpus gladio
 in partes secare pararet, tantus factus
 est populi concursus, ut membra car-
 nifici e manibus eriperent, eaque per
 omnes urbis vicos & compita raptan-
 tes, pedibus calcarent, ac diris & ma-
 ledictis funus tam nefandum prosequen-
 tes, frusta corporis aut ipsimet excitatis
 ignibus concremarent, aut ea ad sup-
 plicii locum trahentes a carnificibus in
 cineres redigenda referrent.

Sæc. XVII.
 A. C. 1610.